

163

161

167

157

172

Continens Acta Peregrinorum Terrae Sanctae per mensem
Junium, quo terminos Terrae Sanctae attigerunt.

(B) Junius mensis, dum primum diem suum inciperet,
incepit et nostra maritima evagatio. Erat autem dominica
prima post festum S. Trinitatis. Summo ergo mane die illo
surreximus ante solis ortum, et cunctas res nostras in barcam
magnum, quae ante portam domus hospitii nostri stabat, quam
conduxeramus, portavimus. Et valedictis omnibus de domo
in barcam descendimus, et per canale extra urbem venetianam
navigantes ad Sanctum Nicolaum alliu applicuimus. Et
derelicto custode rerum in barca in ecclesiam ingressi sumus.
Est autem ecclesiae illi grande monasterium annexum mona-
chorum S. Benedicti. Et quaesivi sacristam, petens ab eo
peramenta promissa, et ut de boccali boni vini provisionem
faceret, praeter vinum sacrificii, et in altari collocaret.
Indutus ergo sacris vestibus accessi et Missam de dominica
legi praesentibus peregrinis. Post Missam vinum allatum in
boccali benedixi benedictione S. Johannis Evangelistae, et
Dominis meis peregrinis potum dedi, amorem S. Johannis pro
felici et prospero successu. Quo devote peracto reingressi
sumus in barcam, et extra portum venetianum navigavimus
per medium duorum castellorum, quae claudunt portum illum.
Stabat enim galēa nostra quasi per unum miliare extra portum
in mari. Porro nobis navigantibus surrexit ventus nobis
inutilis, et impedimentum praestitit, ita quod vix in duabus
horis cum magna difficultate poteramus galēam attingere.
Tandem autem cum ad eam venissemus, ascendimus per
gradus, eamque plenam hominibus reperimus, et socios nostros,
quos quatuor dies antepraemisimus, debiles invenimus, quia
ex ventorum impulsu navis contrariis motibus agitata ad
anchoras jacens eos debilitaverat. In nostro tamen aspectu
laetificati melius habere cooperunt, et Dominis amaritudines
maris, quas modicum valde gustaverant, narraverunt. Eodem
die rogavit me quidam miles, ut secum in barca redirem

